



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 115. Jacobus Clemens e familia sancti Dominici Henricum Regem trucidare decernens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1589.

prospexerat, atque in omnibus majoris momenti locis fossas, ac propugnacula erigi jusserat, sed insuper ab ipso populo, qui maxima pugnandi aviditate flagrare videbatur, opem sibi polliceri poterat, cum enim Memoria, Montpenseria, & Guisæ Ducissæ populum vehementer sollicitarent, necnon Verbi Divini Præcones fervide declamarent, omnium animi accendebantur, præcipue vero Sacerdotum, & Monachorum, qui militum partes explere non dubitabant, exemplo tantopere animati erant, ut una omnes totis viribus resistere decernerent: horum tamen molimina detestando Jacobi Clementis Dominicani facinore evanuerunt, totaque res aliam induit faciem.

§. CXV.

*Jacobus Clemens e familia sancti Dominici Henricum Regem trucidare decernens.*

*Thuan. &  
Davila l. c.  
Spond. hoc  
ann. n. 14.  
Mem. d'Estoile p. 284.*

Hic Religiosus in quadam Sorbonæ villa prope Senones in Fratrum Prædicatorum ejusdem Urbis cænobio Sacra veste indutus hoc institutum profitebatur, dum circiter annum ætatis suæ vigesimum secundum agebat, eratque homo literarum ignarus, ingenio debilis, ac moribus parum compositus, qui sive ob vehementes Prædicatorum decla-

Sæcul. XVI.

A.C. 1589.

declamationes, in quibus Regem tanquam Tyrannum proclamari, ejusque vitæ infidias strui licitum esse, singulis diebus percipiebat, sive ob privatas quorundam Theologorum disputationes seductus, aut arcana nonnullorum sollicitatione animatus Regem suum occidere fixum, firmumque habuit, ac sæpius coram suis sodalibus jactitavit, non alia, quam sua dextera, hunc tyrannum moriturum: dum igitur Henricum Parisios obsidere perceperat, quemdam ex sui Ordinis Religiosis consultabat, suumque consilium aperire rogabat, an interno instinctu impulsus hoc scelus perpetrare posset? cum autem hic Religiosus Clementis propositum Patri Priori nomine Burgoino manifestaret, ambo Clementi respondebant, prius sedulo discutiendum, quo spiritu ad hanc actionem incitaretur: hinc suadebant, ut ad hujus rei cognitionem jejunia, orationes, ac fervidas ad Deum aspirationes adhiberet. Clemens horum consilium in usum deducens eisdem reposuit, quod nunc magis, quam unquam, ad hoc facinus incitaretur: insuper huic relationi addunt nonnulli, quod Montpenseria Ducissa Clementem ad hoc nefas impulerit, eisdem insinuans, ipsum tunc, si vita incolumis evaderet, absdubio a Papa Cardi-

Sæcul. XVI. Cardinalium Collegio adscribendum fore: si vero hac in occasione occumberet, Sanctorum factis annumerandum prædicebat, eoquod Regnum a fidei hoste liberasset.

## §. CXVI.

*Clemens in oppido sancti Clodoaldi ad Regem contendens.*

*Thuan. & Davil. l. c. Journal de Henri III. t. I. p. 124. Du Lettre de la Guesle sur la mort du Roy.*

**H**ic Religiosus hisce hortationibus in suo proposito magis firmatus, omnique conscientie anxietate solutus hoc facinus exequi statuit, hancque in rem a Briennio Comite Espernonii Ducis Sororio tum Luparæ capto publicæ fidei literas impetravit, quæsito obtenta, quod secretum quoddam magni momenti negotium Regi manifestandum haberet: hac itaque securitatis cautione munitus die trigesima prima Julii ad oppidum sancti Clodoaldi contendit, suo proposito prius sociis suis manifestato, iisque valere jussis: verum a nonnullis militibus comprehensus ad Jacobum Gueslæum Cognitorem Regium tum in præfato oppido agentem ducatur. Hic inspectis publicæ fidei tabulis, cum ab eo intelligeret, quod soli Regi commissa sibi mandata communicare deberet, eundem altera die matutino tempore ad Regis alloquium adducere spondit: interea vero Clemens